FRANCISCUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei

dilecto Filio Ivoni Baumgarten, e clero archidioecesis Lugdunensis, hactenus Curioni Moderatori paroeciarum in civitate v.d. Pouilly-sous-Charlieu, destinato Episcopo Aniciensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cotidie confitemur Dominum Deum nostrum, qui propitiante virtute ex fructu arboris crucis suae gratiam pro gratia donat nobis animasque fidelium suo amplexu coniungit itidemque fruge dulcissimo suo pascit et ducit ad vitam aeternam. Memores enim illorum beneficiorum, Nos, fungentes officio Successoris Apostoli Petri, iugiter quaerimus idoneos viros, qui una Nobiscum Bonam Notitiam in medio populi enarrant. Hoc autem tempore animum Nostrum dirigimus ad communitatem Aniciensem, quae post translationem Venerabilis Fratris Lucae Crépy ad sedem Versaliensem, in praesens suo Pastore orbata est, ideoque ad hoc munus te eligere censemus, dilecte Fili, qui prudentia, spiritali vita, agendarum rerum peritia, caritate et actuoso pastorali opere emines. Ex plenitudine ergo Apostolicae Nostrae potestatis, Congregationis pro Episcopis audito consilio, te Episcopum Aniciensem nominamus ac constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus, secundum normas Codicis Iuris Canonici. Ordinationem episcopalem ubivis extra Romam a catholico Episcopo accipere poteris, servatis ritibus. Antehac tamen, ut lex ecclesiastica statuit, oportet te fidei professionem rite profiteri necnon iusiurandum fidelitatis erga Nos Nostrosque hac in Sede Successores praestare. Denique te benigne hortamur, dilecte Fili, ut, intercedentibus Beata Maria Virgine et sancto Ivone, caelesti tuo patrono, ministerium tibi concreditum diligenter corde paterno patres omnimodo praedicendo ac testando Dei gratiam ac dilectionem erga homines, quas in Christi crucis victoria ineffabiliter nobis demonstravit. Datum Romae, Laterani, die decimo sexto mensis Februarii, anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

Franciscus

Franciscus Piva, Prot. Ap.